Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2611

Quelle:
Copyright:

XI. *fol.* 251. *Incipit tractatus de corpore christi domini bonauenture. Ad honorem glorioſe ac indiuidue trinitatis. Et ad honorem excellentiſſimi ſacramenti* &c. Extat ſub titulo: *De Praeparatione ad miſſam*, in *Capita* XIV. diviſus T. VII. *Operum Lugd.* 1668. p. 66. f.

DCLXXXIII.

574 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 162. 4. nitide perſcriptus et quondam *Magiſtri Ja. friesbamer Canonici Ratiſponen.* continet, quae ſequuntur. I. *Tractatus magiſtri Johannis de franckfordia de Contractibus in vendicione et empcione.* Initium: *Vt in foro anime ubi ſpectator eſt deus, ſalubrius valeas conſulere, queris a me, quomodo debeas hominem expedire in caſibus contractuum* &c. XVI. *Concluſionibus* practicis definitur Conſilium, e quibus variarum Rerum pretia illo aevo in *Palatinatu* obtinentia diſcuntur. Doctorem noſtrum, de quo jam alias nobis mentio, non pertinere ad eos, quos hodie *Laxos* appellant, ex eo conjicias, quod *fol.* 2. p. 1. legitur: *Si homo ex propoſito abſtraheret vnum granum tritici uel vnam guttam vini quando bene crederet quod eſſet iuſta menſura, et ſic defraudaret proximum ſuum ſcienter, ille peccaret* &c. Subſcriptio: *Explicit tractatus de contractibus ſcilicet de empcione et vendicione traditus per Magiſtrum Johannem* (de Diepurgo) *de franckfordia ſacre theologie doctorem compilatus ab eodem Haidelberge.* Novit Tractatum hunc *Trithemius*, qui inter *illuſtres Viros Germ. fol.* 39. Autorem plurimum commendat, et a. 1430. claruiſſe tradit.

II. *fol.* 10. Brevis Expoſitio Orationis Dominicae, quae incipit: *Pater noſter. Excelſus in creacione, ſuauis in amore, dives in bereditate. Qui es in celis* &c.

III. *fol.* 11. p. 2. *Honorii* III. Pont. Confirmatio Ordinis FF. Minor. jam ab *Innocentio* III. adprobati Data *Laterani III. kl. decembris pontificatus An. VIII°.* Incipit: *Solet annuere ſedes apoſtolica* &c. et habetur in *Cherubini Bullario Magno* T. I. p. 66.

IV. *Fol.* 14. *Incipiunt interrogaciones que de ſcripturis ſanctis et canonibus ſacris in foro penitencie ad vtilitatem confitentium fieri poſſunt* &c. Pervadunt diverſas Hominum conditiones incipiendo ab *Epiſcopis*, de quibus ita: *Si Epiſcopus non eſt Baptiſatus irregularis eſt et debet Baptiſari et iterum gradatim ordinari* &c. et deſinunt in Examine de diverſis ſpeciebus Peccatorum et ratione injungendi Poenitentias. Opuſculum adfine *Confeſſionalibus Antonini Flor. Barth. de Chaymis, Andreae Hiſp.* &c. habetur etiam *Cod.* DCLXXXI.

V. *fol.* 26. *Joh. Gerſonis* Tractatus IV. Primus ſubſcribitur: *Explicit Tractatus de Arte audiendi confeſſiones d. Gerſon viri utique celeberrimi.* Extat *Opp. T. II. col.* 446. Secundus inſcribitur: *Tractatus cujusdam cujus ſupra*